



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vir frugi, uxor prodiga.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Sunt qui mulierem conceptum evitantes, aut virum admittere nolentem per Asinam, & fustem inhærentem tergo, designent: ea enim semen à coitu rejicit, nisi interpellatur, quam obrem statim post coitum necesse est eam verberari, agitarique, & ingnaviam qua prædita est solitudine castigari. Quinetiam mares ipsos fustibus salire cogunt, unde vulgo mos est, viros minime officiosos, Asinos appellare. Quid vero illud, quod hujusmodi pertinacia demortui etiam spoliis inhærescit? ungula liquidem asinæ viventem partum enecat, mirificeque maturant: quare Medici abortibus evocandis, nec aliter, eas in suffitum adhibere consueverunt.

PRÆGNANTIÆ DISSIMULATRIX.

CAP. XV.

*Asina in
oculto pa-
riens.*

Mulierem ad hæc prægnatiam occultantem notare cum volunt, parientem Asinam pingunt. Observatum enim est, id eam impendio cavere, ne vel in conspectu hominum, vel in luce pariat: quare ducenda est in tenebras, cum excludendi tempus advenerit.



SOLSTITIUM VEL TEMPUS ANNUM.

CAP. XVI.

*Plin. lib. 8.
cap. 43.*

Pullus vero Asinæ nunc Solstitium, nunc tempus annum indicat, quod eo tempore plurimum à pariant, & admittantur, ut eorum seminis frigiditas cœli calore adjuvetur, & frigoris impatiens animal eo nascatur tempore, quod ejus imbecillitati sit idoneum: annum enim integrum ornant gestant.

VIR FRUGI UXOR PRODIGA. CAP. XVII.

*Asellus fu-
nem abro-
dens, quid.*

*Prop. lib. 4.
Eleg.*

Minime prætereundum est illud, quod insignium pictorum & sculptorum etiam opere nobilitatum est, ut cum virum in re cumulanda sollicitum, neque assiduos quantumlibet labores declinantem, uxorem verò prodigam, & ad omnia perdenda dissipandaque intentam hieroglyphicè significare vellent, hominemque sparti funiculum torquentem, illam vero Aselli effigie assidentem à tergo, & opus quantumcumque fieret abrodentem, effingebant. Sunt qui Polygnoti opus id fuisse dicant, meminere vero & Pausanias & Plinius, ac mox Romæ tum in Capitolio, tum in Vaticanis hortis insculptum marmore observatum. Hinc quid sibi velit Propertianus versus, admonemur,

Dignior obliquo funem qui torqueat ocno,

Æternumq, tuam pascat asselle famem.

Illud $\epsilon\zeta$ $\pi\alpha\iota\sigma\epsilon\sigma\epsilon\gamma\omega\nu$ addam quod Pausanias ponit, Asellam, non Asellum marem in pictura spectatum, quæ funem abrodere. Plutarchus commentario $\omega\delta\epsilon$ $\tau\epsilon$ $\epsilon\upsilon\theta\upsilon\mu\alpha\varsigma$, apud inferos argumentum pictum ait, sed Asinum non nominat.

PATERFAM. PARCUS. FAMILIA PRODIGA. CAP. XVIII.

Diodorus Asinorum imaginem istiusmodi apud Ægyptios ostentari tradit: Asinum quippe unum longioris funis nodos complicare, ac alios à tergo clanculum dissolvere uno porro eodemque

